

20
COMPARATIO INTER ECLO-
GAM VIRGILII QUARTAM
ET CALPURNII PRIMAM,

QUAM,

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. R. ACAD. ABOËNSIS,

PRÆSIDE

JOH. FREDR. WALLENIO,

ELOQU. PROF. REG. ET ORD. REGG. SOCIETT. PATRIOT. HOLM.
OECON. FENN. ET OECON. WERMEL. MEMBRO,

PRO GRADU PHILOSOPHICO

EXAMINI DEFERT

ADOLPHUS BRUUN,

Ostrogothus,

IN AUD. PHYS. DIE XXVIII OCTOBR. MDCCCVII.

Moris a. m. consuetis.

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

KONUNGENS

TRO-TJENARE,

MAJOREN,

HÖGVÅLBORNE HERR BARON

CARL REEBINDER

*Tillegnas med djup vördnad denna Academiska af-
handling*

af

ADOLF BRUUN.



Fortunatus est ille, Deos qui novit agrestes.

VIRGILIUS.

Pastoralis Musæ longum apud Romanos fuit, post VIRGILII ætatem, silentium, nec ante tria exacta sæcula plene ruptum. Adscribi quidem A. SEPTIMIO SERENO, quem ruris opuscula docuisse refert TERENTIUS MAURUS, a multis, post JOSEPH. SCALIGERUM, solet *Moretum* illud, pastoritium MARONI vulgo tributum epos aut particula potius epici carminis, diurnum rusticæ vitæ laborem exposituri; quam tamen uti Bucolicis Mantuani poëtæ nemo intulit, ita nec inferendam, si vel certissime de auctore constitisset, unquam fuisse, diversum valde descriptionis consilium diversusque habitus docere nobis videntur. Neque aliud fere de reliquis ab eodem SERENO profectis opusculis, quantum ex meris, iisque brevissimis, perspicere licet fragmentis, ferendum est judicium, utpote talibus, ut Bucolico generi non magis annumeranda videantur, quam Georgica MARONIS, Liber PALLADII quartus decimus, & decimus Liber COLUMELLÆ. Est præterea laudati jam sæpius SERENI ætas adeo incerta, ut auctoritate potius citati pariter TERENTIANI, cujus ipsius ætas probabili tantum conjectura constituitur, quam plena testimoniorum fide, communiter assumatur, esse illum ad Vespasianorum tempora referendum. Tandem ducentis post annis, sed vehementer

A

jam

jam imminuta Latinæ & linguæ & litteraturæ dignitate, probabile satis effloruit T. JULII CALPURNII *Siculi* ingenium, meliori dignum ævo &, si favisset fortuna saniorque sæculi gustus ivisset suppetias, Theocriteæ tibî laudè VIRGILIO forte æquiparandum (a).

Est autem in novo quocunque scriptionis genere aliquid, quod reliquos in eodem campo excurrentes ad imitationem propositi aliquando exemplaris plus minus manifestam non tam adducat quam impellat, primique inventoris admiratione firmatum, vim quali legis obtinuisse videatur. Characterem, habitum, colorem, œconomiam, quibus placuit præstans rei novæ artifex, ad ipsam rei naturam pertinere visa, servanda sibi rentur ut plurimum, & exprimere, ut valent, conantur etiam insequentibus; iidemque, quantumvis suo sapere ingenio ament, eandem, quam primi magistri, trivisse viam, aut post breviora & insolentiora itinerum divortia, signata jam vestigia relegisse plerumque deprehenduntur. Sic HOMERUM posteriores Epici; sic in Bucolicis THEOCRITUM VIRGILIUS, CALPURNIUS utrumque (b) ita fuere imitati, ut non modo line-

a) M. AURELIUM OLYMPIUM NEMESIANUM hoc loco nominare non convenit, cum quatuor illas, quarum auctor is vulgo habetur, eclogas CALPURNIO, idoneis, ut putamus, argumentis, vindicaverit, post ULITUM & BURMANNUM, WERNSDORFIUS in collectione poetarum Latinorum minorum T. II. p. 15. sqq. Addi meretur FLAVII VOPISCI testimonium, NEMESIANO tribuentis non nisi *Ἀλιευτικά, Κυνηγετικά & Ναυτικά,*

b) BIONEM & MOSCHUM, quibus si non melior, ut judicavit quondam SERVIUS in Prolegomenis ad Bucolica VIRGILII, ac simplicitatis & naturalis pulcritudinis laude superior, THEOCRITUS, multaque præterea mythica, erotica, flebilis (*ᾠδύνας μέλη* Moschi Idyll. 3, v. 101) totis tractantes idyllis, pastorumque personis

lineamentorum conformationem totamque carminum faciem agnoscas utcumque similem, sed etiam easdem frequenter offendas loquendi formulas, easdem imagines, eosdem denique sensus, felici sæpe, nec vitiosa, æmulatione expressos, variatos, superatos.

Non patitur instituti ratio, ut Maronianam THEOCRITI imitationem, de qua verissime iudicatum ab eo videtur, qui dixit dimidiam Virgilianarum eclogarum partem nihil prodere imitationis, reliquam multa continere, quæ Romanus tam fecerit sua, ut ea repetiturus Græcus vix sit putandus (c), investigemus diligentius. Satis erit observasse, non eam fuisse docti imitatoris curam, ut universam Theocritei artificii formam ubique anxie servaret. Quos mores, ad pastorum Siculorum exemplar, non rudiores tantum, sed etiam castis animis nonnunquam minus probandos, depinxerat Græcus; eos a Latino, quem propterea TIZIANO pictori, ut Belgicæ scholæ THEOCRITUM, assimilavit Gallicus hujus metaphrastes GAIL, effictos esse minus agrestes, nemo culpet: eosdem vero si etiam ad politiores compositos animadverterit urbanitatem, non esse personis, ut oportet, servitum intendet, ipsumque generis characterem, qui ingenua, nativa & simplici continetur rerum hominumque a ventoso urbis vitæ strepitu remotorum, sed pastorum in primis, pictura (d), non recte migra-

A 2 tum

rarius usos, parcius, si unquam, imitatus fuit MARO, multoque etiam minus CALPURNIUS, veteris rusticitatis quam illatarum postea elegantiarum amantior,

c) Charaktere der vornehmsten Dichter aller Nationen, 7:n Bandes 2:s Stück p. 243.

d) Cfr. Dissert. Clariss. H. G. KRUSEBERG, de origine & natura carminis Bucolici, Præf. F. M. FRANZÉN, Ab. 1801. Quod autem nos dicimus: *pastorum in primis*, id consulto facimus, & eo qui.

tum esse queretur. Nam licet fatendum omnino sit, non posse semper placere nudam, sæpe parum honestam, veritatem, quam igitur aut velari aut modice ornari utique expediet; æque tamen displicet, pastores, qui ab auctoribus Bucolicorum veterum omnibus & recentiorum plerisque loquentes inducuntur, pastoritii nihil præter nomina, peram, baculum & fistulam habere, quam nostros videre urbanos homines, ruris otia, ut præ se ferunt, quæsituros, sed totum diem partim comisatione terentes, partim chartarum ludo fallentes, & egregie scilicet camporum jucunditatibus gavisos urbem concubia nocte revolantes. Non est, quod veritatem hujus generis æstheticam, ceteroquin parvam, palatiorum inferendo sermonem, magis etiam infirmemus. Pendet nimirum illa, quantulacunque est, veritas ex eo maxime, quod cum summa vitæ morumque simplicitate & laudabili innocentia tanta cogitetur adesse, aut saltem adfuisse aliquando, curarum ærumnarumque vacuitas, ut, præter humanos nemini evitandos casus, nihil sit, quo turbari tranquillorum pectorum felicitas possit.

Neque vero obversata MARONIS nostri menti non fuit aliqua hujusmodi felicitatis imago, eaque vel ex pervagatis de aurea quondam ætate fabulis repetita, vel spe venturorum, & quidem meliorum, temporum ante concepta. Ejusdem apud CALPURNIUM minime obscura sunt vestigia, nec usquam exstantiora, quam in prima ecloga, quæ, pariter atque VIRGILII quarta, unde manifesto expressam agnoscunt omnes, fati-

dem magis, quod & liberi, iique divitissimi, homines fuerunt antiquitus hoc quæstu occupati, & nullum fere operosæ vitæ genus plus concedit in mitioribus cæli plagis a labore parum molesto otii, magisque favet contemplationi & erumpentibus æthosæ phantasiæ sive lusibus sive querelis. -- At neque THEOCRITUS solos pastores ecclinerat.

fatidico quodam spiritu fusa videri gessit, summamque & cumulatissimam venientibus sæculis, ad sincerum naturæ amorem sponte redituris, portendit beatitatem.

Norunt omnes VIRGILII ætatem in ea incidisse tempora, quibus inter licentiam ac libertatem incerta Romanorum respublica crebris civilium motuum tumultibus, horridisque proscriptio- num calamitatibus quassata & fessa, nihil tam defideraret quam placidam securamque quietem. Neque aliud Poë- tæ jam innotescenti fuit impensius aut optandum aut optatum. Novis enim post CÆSARIS interitum coortis turbis, ipsisque nostri reliquorumque Mantuanorum possessionibus valde affli- ctis, non erat, quo subveniri his posset, nisi in otii pacis- que serenitate, subsidium. Solent autem homines, quæ ma- gnopere exoptant, ea facile credere aliisque persuasa cupere; unde nec mirum, spes quietioris rerum status, composita Brun- disii, anno Romæ conditæ 714, inter OCTAVIANUM & ANTO- NIUM pace, blande ridentes, & avide amplexum fuisse VIR- GILIUM, & jucundissimis, quibus potuit, futuræ felicitatis imaginibus ornatas popularibus proposuisse amplexandas. In quo igitur argumento laudatam jam eclogam, hoc ipso anno (e) exaratam & beata redituri Saturnii ævi otia vel audacissimis hyperbolis prædicentem, versari, conjectura, qua probabilior inveniri potest nulla, collegerunt plerique.

Fuerunt

*) Rejicit J. A. FABRICIUS Biblioth. Græc. Edit. Harles. Vol. I. p. 243. Biblioth. Latin. Edit. Ernest. T. I. p. 308. hanc eclogam ad annum proxime superiorem 713, quo designatus quidem, sed con- sulatui nondum admotus erat C. ASINIUS POLLIO: quam sententiam versibus eclogæ II -- 13 egregie confirmari putat. At neque con- tra reliquorum fere omnium, etiam veterum, consensum est infi- stendum; neque aliud opus est intelligi, quam ante Pollioniani magistratus finem id contigisse. quod illo consule futuram prænun- tiaverat poëta,

Fuerunt autem jam inter veteres multi, qui LACTANTIUM, CONSTANTINUM MAGNUM, EUSEBIUM, AUGUSTINUM, PROSPERUM AQUITANUM aliosque secuti, suffragiisque recentiorum non paucorum, BETULEJI, HENR. NEWTONI, LOWTHI cet. postea aucti, aliam interpretationis viam ineundam esse censerent, cœlestis & vere divini nescio quid in Virgiliano scripto subolfacientes, augustosque Θεωυδωπης Redemptoris natales ex Sibyllinis vaticiniis annuntiari autumantes; in primis cum de puero, quem nasciturum auguratur, talia prædicet MARO, quæ & divinam loquantur venturæ progeniei naturam, & cum sacrorum oraculorum, JESAIÆ potissimum ore editorum, tam verbis quam sensu amice conspirent. Placuisse nimirum Deo "æternam suam voluntatem & totam illam fatorum seriem, præsertim ad salutem mortalium spectantem, sicut Israëlitis per Prophetas, ita gentibus per Sibyllas ostendere, per idem nomen fatidicum", expressis verbis sentire se profitetur BETULEJUS; & illustris Anglorum vates POPE, haud obscuram Jesaianarum & Virgilianarum sententiarum, imaginum, descriptionum similitudinem non miratus quidem, sed patrio, itidem poëtico, sermone effingendam & ad magnificentiorem Orientalium rationem in primis attemperandam sibi sumens, sacram, *Mesfiab* inscriptam, eamque pulcherrimam, imitando expressit eclogam, natales sanctissimi Servatoris, collatis & conciliatis ubique antesignanorum effatis, pie celebraturus (*f*). Sed nihil attinet remotum & abstrusum, non dicam venari, sed poëtæ affingere, sensum, & præpostera pietate arcani quid ac vere religiosi non tam elicere quam extorquere. Fuerunt, qui *Cumæum carmen* (Ecl. v. 4) de Ætolorum, non de Campaniæ, Cumis interpretati, nihil omnino Sibyl-

f) Sic etiam CLEMENS MAROT, Gallus, sed in profano argumento, laudatam sæpius VIRGILII eclogam ad faustum Delphini natalem cantione votisque prosequendum, vernacula sibi usus lingua, jam ante traduxerat.

Sibyllinis verbis debuisse poetam, sed ex Hesiodæ aureæ ætatis effigie (g) primas adumbrationis lineas fuisse mutatum, fidenter contenderent (h). Favere his videtur auxilia illa Romanorum in fatalibus Sibyllæ libris custodiendis atque a cognitione & inspectione vulgi removendis cura; duumviri, tum decemviri, tandem quindecimviri, iisdem religiose aservandis præpositi; rara, nec nisi in gravibus reipublicæ casibus & tetris prodigiis, hæc carmina consulendi potestas; sumtumque de M. ATTILIO, divulgati secreti accusato, supplicium (i): quibus omnibus probatum iri possit, non adeo prostitutam fuisse horum librorum religionem, ut ad populum impune manarent. Cum autem accusationis in ATTILIUM caput esset, describendos eum dedisse libros suæ fidei commissos; cum, postquam Marsico bello hi una cum Capitolio conflagrassent, novi hinc illinc afferrentur, explorandi, quantum humana ope fieri posset, a sacerdotibus; cum "quia multa vana sub nomine celebri vulgabatur, sanciret AUGUSTUS, quem intra diem ad prætorem urbanum deferrentur, neque habere privatum liceret", idemque spuriorum supra duo millia contracta undique cremaret (k); cum prolata aliquando, necessitate id postulante, Sibyllina dicta memoriæ diligenter mandarentur & pro re nata commemorando renovarentur (l); cumque

unum

g) *Egy.* v. 108 -- 125. Cfr. v. 634.

h) Sic, post M. VALERIUM PROBUM, BOECLERUS, J. ALB. FABRICIUS, TOB. ECKHARD, HARLES, alii. Ab utroque fonte hausisse nostrum, HÉYNI est, nec inconveniens, sententia.

i) DIONYSII *Halicarnas.* *Ῥωμαϊκῆς Ἀρχαιολογίας* L. IV. c. 70. LIVII *Historiar.* L. III. c. 10. L. VII. c. 27. L. XXII. c. 9 cet.

k) TACITI *Annal.* L. VI. c. 12. SVETONIUS in *Octavio* c. 31.

l) Exemplum præbet LIVIUS L. XXXVIII. c. 45. Cfr. FLAVIUS VOPISCUS in *vita Cari*.

unum alterumve vel minus idonea occasione productum, ut illud L. COTTÆ, quindecimviri, quod mox CICERONIS (m) deinde SVETONII (n), scriptis dissipabatur latius, semel elapsum non posset amplius contineri custodia: non est quod dubitemus, multa Sibyllinæ sapientiæ oracula plus minus genuina in vulgus fuisse nota & nostro etiam poetæ liberius usurpanda.

Utut autem se habent ista, explosa a saniorum plerisque est illa opinio, qua vaticinium de Christo venturo Virgiliana ecloga resonare creditur; quapropter circumspicere necesse fuit, quem alium illorum temporum puerum tam festo splendidissimorum auguriorum apparatu salutatum voluerit Noster. Et pronum sane ad fidem fuit, ipsi POLLIONI, cujus nomen & in fronte gerit & versu 12mo ciet ecloga, portendi filium, læta visurum sæcula & bonorum civium spes impleturum. Volunt autem duos circa hæc tempora natos POLLIONI fuisse filios, alterum C. ASINIUM GALLUM, qui & ipse ASCONIO PEDIANO narrarit, in sui honorem compositum esse carmen, alterum SALONINUM, post captas a patre a. U. c. 715 Salonas, Dalmatiæ urbem, susceptum, indeque cognominatum, de quo tamen, an exstiterit unquam, dubitat LOWTHUS; RÆUS nullum fuisse, sed nepotem, eo nomine, autumat: quæ omnia ita conciliare studet Germanicus Nostri metaphrastes Voss, ut ipsi ASINIO GALLO, in triumphali patris pompa jam annuo, honorificum inditum esse cognomen putetur. Et quamvis reponat in primis LOWTHUS (o), parum videri credibile, POLLIONI, qui a partibus M. ANTONII semper stetit, &
pro-

m) De Divinat. L. II. c. 54.

n) In Cæsare c. 79.

o) De sacra Poësi Hebræorum, Edit. Gœtting. 1770 p. 438. sqq.

proinde AUGUSTI semper fuisset inimicus, inscribi a poëta potuisse eclogam tantis refertam tamque insolitis laudibus, attendi tamen meretur, AUGUSTUM, Brundisina pace non prælatum, sed exæquatam, ANTONIO, a rerum summa adhucdum longius abfuisse; agrum Mantuanum, in quo sitæ erant etiam Virgilianæ possessiones, accessisse a. U. c. 711 Antonianæ in provinciarum distributione sortî; missum tum in hæc loca fuisse POLLIONEM, qui totam regionem in ANTONII fide per triennium continuit, cujusque favore Noster amissos agros primum recuperavit; gratum in fortunarum restitutorem, cultæ etiam poëseos laude florentem, animum a Nostro & antea (Eclog. III.) fuisse declaratum; tandemque non POLLIONIS minus, quam MÆCENATIS (cui commendatus ipse Noster ab altero forte fœderis administro postea fuit) ope, conciliatam fuisse pacem sæpius jam nominatam. Docere hæc videntur, nec potuisse, mitigatis jam ipsorum ducum animis, POLLIONEM esse AUGUSTO nimis invidum, nec tantam adhuc intercessisse eidem AUGUSTO cum Nostro familiaritatem, ut illius inimicos hic suos putaret. At neque tamen propterea magis intelligitur, qui potuerit poëta nasciturum POLLIONIS filium Deum subolem magnumque Jovis incrementum appellare, divis heroibusque permiscere, illique pacatum jam orbem regendum promittere (vers. 15 — 17, 49), cujus quidem imperium juvenis, quantumvis futurus fuisset ambitiosus, arrogare sibi, sine novis, iisque admodum sanguinolentis, turbis nunquam valuisset.

Maluerunt igitur non pauci, nec temere, angustiores requirere nascituri pueri parentem, sed in diversas quisque fere abierunt sententias. Cogitarunt alii OCTAVIANUM ipsum, cujus filio aliquo digniorem aptioremve personam, aut in quam poëta dicta melius quadrent, nusquam inveniri posse, ipse fatetur LOWTHUS, qui tamen simul nescire se dicit, quomodo ad puerum, patre natum rerum summa nondumposito,

spectare protinus potuisset imperii hereditas, quæritque, cur **POLLIONI** mitteretur ejusque nomine inscriberetur carmen, **AUGUSTI** laudibus ejusque familiæ honori dicatum. At in initio minus **NAUZEUS** (DE LA NAUZE) ad prolem ex contractis hoc anno **OCTAVIANI** & **SCRIBONIÆ** nuptiis expectandam argumentum eclogæ refert; a qua amplectenda opinione nec valde alienum se professus est quondam **HEYNE**. Ea si vera videbitur, spem, ut in reliquis, ita in infantis sexu, se illit eventus, non puerum promens sed puellam, **JULIAM** nempe, perdita morum dissolutione postea famosam.

Factam inter **OCTAVIANUM** & **ANTONIUM** pacem confirmasse visa est aliquamdiu data huic in matrimonium illius soror, **OCTAVIA**, **C. CLAUDII MARCELLI**, consularis viri, vidua & ex eo gravida; cujus honestissimæ quidem feminæ filium **M. CLAUDIUM MARCELLUM**, maritum **JULIÆ**, **AUGUSTI** generum, imperioque ut dignum, ita ab avunculo ipso destinatum, sed præpropera morte, a. U. c. 731 maximo cum civium luctu extinctum, & posthumum fuisse, & **Virgilianæ** eclogæ augurio speratum, conjiciunt **BADIUS ASCENSIVS**, **CATROU**, **BRUNS**, alii. Hanc conjecturam valde commendat nescio quæ ex vaticinio si non impleto, perfectioni tamen quandantenus vicino, voluptas, nec dimitti eam jubet, quod a **SERVIO** ad **Æneid.** L. VI. v. 262 traditur, decimo octavo ætatis anno periisse optimæ spei juvenem: **PROPERTII** (*p*) autem & **DIONIS CASSII** (L. XLVIII) minus suspectis testimoniis vigesimum attigisse annum censetur; quo facto tota corrui alioqui haud improbabilis hariolatio.

Neque minus temporum seriei adversatur **JOH. MEDICI Avenionensis** sententia, **DRUSUM TIBERII** filium a poëta respici autu-

2) L. III. eleg. 18. v. 15.

autumantis; multoque etiam minus placet opinio Dni DE VIGNOLIS, laudatam eclogam ad ann. U. c. 730, felicisque omnis puerum ad nescio quam laudati nuper MARCELLI cum JULIA libolem, non alio quidem consilio abjicientis, quam ut re ponderet annus exarati carminis magnæ Alexandrinæ ætæ initio, insignem allaturæ rerum conversionem & restitutioem.

In hac vero tanta conjecturarum diversissimarum pugna cum certi quid statui omnino n queat, minus est mirandum nuperius eo dilapsam fuisse HEXNIUM, ut certum aliquem sp̄tari puerum negaret, sed de edendo infante quo demum cumque masculo accipi posse omnia contenderet: quam tamen sententiam vix probari sinent versus 17, 26, 49, in quibus verba *Deum suboles, patrie virtutes, facta parentis*, in quemvis e p̄be puerum neutiquam conveniunt. — Est autem memorabilis observatio Dni BRUNS (g), scriptam Saturnaliorum tempore eclogam judicantis, atque ex horum sacrorum ritibus explicantis, cur ad Saturniæ i. e. aureæ ætatis felicitatem revocetur memoria (v. 6, 9), cur munera ferantur recens nato (v. 18 — 20), cur redituræ æqualitatis & promiscuorum conviviorum fiat mentio (v. 15 sq. & 63, & quæ sunt cetera. Sic vero ad ultimos anni dies Virgilianum referenti scriptum etsi verendum minus fuit, ne objiceretur, POLLIONI consuli suffectum paullo ante fuisse S. CANIDIUM, nihiloque minus non huic, sed illi, tamquam Consuli, inscriptam eclogam; parum tamen, nobis quidem iudicibus, illustrationis ex Bruniana hypothese obscuro, ut fatidica decet carmina, accedit poëmati, ad quam igitur confugisse eo magis erit inutile, quo luculentiora in aliis quoque Bucolicorum Virgilianorum locis (e. g. Ecl. VIII. v. 52—56) existant fabularum de aurei tantopere celebrati ævi reditu vestigia.

B 2

Hae

g) Berlinische Monatschrift, Octobr. 1784. p. 379. sqq.

Hac vero ipsas fabulas, superbis omnemque fidem superantibus promissis intextas, a bucolica simplicitate valde alienas judicarunt multi, acerrime vero castigavit Bucolicus ipse, sed nimis argutus, & aulico quam pastori similior scriptor, Clarissimus FONTENELLE (*). Neque tamen non erit, quod responderi his possit. Etenim, si ex jam demonstratis assumatur, Sibyllinorum vel pro Sibyllinis habitorum vaticiniorum multa ad infimam quoque plebem variis dimanasse occasionibus, circumlataque & crebris sermonibus celebrata omnium ita infedis animis, ut in iis versari reipublicæ salus videretur; quid vetabit eadem vel pastorum proferri ore, hosque, ubi poëtico correpti furore inducuntur, audacioribus quidem uti & insolentioribus, sed ex rustica plerumque vita desumptis, rei pingendæ coloribus? Certe minus hoc offendet, quam si pastor ineptos urbis poëtas norit (Ecl. III. v. 90), si Aracynthum, Libethrum, Rhodopem, Cydonem (II. v. 24, VII. v. 21, VIII. v. 44, X. v. 59) & quas non remotas haud ignoret regiones, si Samium astronomum, CONONEM, loquatur (III. v. 40), & sic porro.

Quodcumque autem fuerit hac de re Virgiliani ævi iudicium, non displicuit saltem CALPURNIO consilium vatis, quem imitandum sibi ambitiose proposuerat. Ad ejus vero carmen cum Maroniano comparandum antequam descendamus, pauca erunt de hoc cadentis jam Latinitatis poëta præmittenda.

Qua ætate vixerit ille, silentibus historicis, non aliunde fere quam ex variis ipsarum Eclogarum momentis, nec difficili tamen interpretatione, colligitur. His indiciis ad M. AURELIUM CARI Imperatoris, filiorumque ejus Cæsarum, postea Augu-

* Discours sur la nature de l' Eglogue (Oeuvres, Paris 1767, T. IV, p. 147). Cfr. Charaktere der Dichter I. c. p. 255.

Augustorum, CARINI & NUMERIANI, tempora referri ab omnibus solet. Succeserat CARUS, jam sexagenarius, anno post Christum natum 282, PROBO a militibus interempto; virque erat, FLAVIO VOPISCO iudice, medius sed inter bonos magis quam inter malos principes collocandus, litteris eruditus, & equestri statua summisque laudibus ab ipso decessore ornatus. Filios autem habuit diversissimos moribus: majorem natu, CARINUM, stuprorum & libidinum nequitiis inquinatissimum, gulosum, superbum, crudelem, focordem, prodigum, talemque ut ipsi patri querelas extorqueret, sui que exheredandi consilium aliquando injiceret, at magnificis ludorum spectaculis popularia fallentem odia; minorem, NUMERIANUM, adolescentem lectissimum, poëticae & oratoriae facultatis laude clarum, dignum forte imperio, sed placidis privatae vitae virtutibus accommodatiorem. Dederat tamen pater, bellandi causa in Persas profecturus, Illi Occidentis imperium administrandum; Hunc secum abductum militiae artibus exercuit: sed, vergente ad finem anno 283, aut fulmine ictus, aut morbo absortus, in castris repente interijt, filiis haud diu superstitibus, quorum NUMERIANUS, e Persia rediit, ab APRO socero putabatur occisus, CARINUS cum novo Imperatore a militibus electo, DIOCLETIANO, ad Margum fluvium pugnans occubuit (s).

Viderat jam Roma, septuaginta fere annorum spatio, inter viginti imperatores, vix duos aut tres sua morte defunctos; continuis turbarum, seditionum, bellorum fluctibus quasata omnia; milites rempublicam saepe venalem habentes; contentam & jacentem fenatus auctoritatem: coeperatque pacatiorum temporum desiderio tabescere. Nec defuisse putandum, qui, quoties nova incideret rerum conversio, spem omnem

5) FLAVIUS VOPISCUS in vitis PROBI, CARI, NUMERIANI, CARINI. GIBBON History of the decline and fall of the Roman Empire, Chap. 12.

omnem aut, moribus novi Imperatoris fractam, abjicerent, aut, ubi serenior affulgere videretur dies, ad diutinæ tranquillitatis libenter creduli extenderent expectationem. Fuerunt etiam, qui sui nimium amantes, inhiantesque assentatorum præmiis, novum quemvis orientem Phœbum turpiter adularentur, malaque utentes fide ea promitterent civibus, quæ ipsi credere aut nollent aut nequirent.

His etiam ne annumerari oporteat CALPURNIUM, inopem certe (Ecl. IV. v. 26 sq. 32, 156. VII. v. 81) & Diis h. e. Augustis (I. v. 46, 73, 84. IV. v. 7, 30, 48, 84, 100, 141, 158, 162, 165. VII. v. 6, 76, 78, 80) innotescere ac placere aventem (I. v. 94. IV. v. 86 sq. 152), haud parum veremur: quam recte, viderint alii. Saltem liberalium valde promissorum parcus neutiquam est, aureaque sæcula, ut alibi (Ecl. IV. v. 6 sq.), ita in prima maxime Ecloga, non tam portendit, quam jam advenisse insinuat. En autem brevem carminis summam!

Ardores æstatis, sed jam præcipitis, depulsuri pastores *Ornitus & Corydon* antrum petunt. Fauni, silvæque umbras ingressi fagum conspiciunt, cui properante falce recens inscriptum cernunt carmen versuum quinquaginta sex, ab ipso Fauno, ut prima mox verba docent, profectum. Conflitit uterque, legens ille, hic audiens, lætaque accipiunt nova de translato sine turbis & agitationibus imperio, de aurea renascente ætate, de Themidis reditu, de compressis in perpetuum bellis, de pace candida, secura, non simulata, de reddito curiæ consulibusque honore, atque de sublata custodiendarum possessionum necessitate: in quarum omnium rerum fidem cometen, intueri jubentur vigesima jam nocte lucentem, lumine non, ut ad CÆSARIS quondam mortem, cruento, sed placido. Venerati demum facundum Numen, recinenda sibi proponunt divina dictata.

Quem

Quem vero Imperatorum respiciant hæcce, utrum CARUM, an CARINUM, an NUMERIANUM, inter omnes non convenit. De CARO tamen intellectum volunt plerique; de utroque fratrum HUGOLINUS MARTELLUS & J. TRISTANUS; de NUMERIANO ADELUNG (t). CARINUM cogitare vix sinit versus 60 — 62, 69 — 71, de adhibita consulum senatusque reverentia, quam ille non dicam non servavit, sed conculcavit pedibus; nec in alium fere quam NUMERIANUM quadrat (v. 44. sq.) præcocis eloquentiæ laus. Favet præterea huic potius, quam CARO, Persicum mox bellum aggresso, arridens (v. 46 — 59) blandæ pacis spes, confirmata scilicet NUMERIANI e Persia reditu; neque dissitendum est expectatione tam incredibili & mirifica digniorem fuisse hujus, quam illius personam. At neque probabilia semper sequitur adulator; neque desunt alia, quæ CARUM loqui videantur. Successor is venerat PROBO, dictitanti sæpius *brevi necessarios milites non futuros*, eoque pacatum fore rerum statum indicanti; civilia atque militaria, dissona tunc temporis, sibi que invicem haud raro infestissima, conjunxerat studia; ornatam templis & celebratam circensibus ludis viderat PROBI memoriam (u); curas imperii Augusto mense, *declivi jam æstate* (v. 1.), capessiverat; stellæque crinitæ omen, si fato, non aliorum manibus, periit, minus quam PROBUS meruisse censebitur. Nihil tamen obstat, quominus ad NUMERIANUM 44;tus & proximus versus referantur, quum ineptum haberi nequiquam possit, parentum laudibus filiorum quoque admiscuisse præconia.

VIR.

t) Des TITUS CALPURNIUS Siculus ländliche Gedichte, übersetzt und erläutert von FRIEDR. ADELUNG, St. Petersburg 1804, quem librum indicari & æstimari vidimus in Jenaische Allgemeine Literatur Zeitung 1807. No 34 sq.

*) VORISCUS in Probo. Cfr. CALPURNII Ecl. I. v. 87.

VIRGILII imitatore[m] ipse se profitetur CALPURNIUS (Ecl. IV. v. 62, 76 sq.), nec dissimulare, si vel voluisset, potuit. Mansisse tamen Illo in uniuersum inferiorem, præter ADELUNGIUM, iudicant omnes, dolentque nativæ non mediocri ingenii elegantiae haud raram adhæsisse ex inficeto & ad abjectissimam seruitutem delapso sæculo rubiginem. Stilum culpant subinde laxum, enervem, subinde tumidum; inflatum, acumina venantem, mox durum & nimis agrestem, eoque magis damnant nimiam in pastoribus urbanæ aulicæque vitæ curiositatem. Laudant vero non contemnendam inventionis copiam, picturas sæpe nitidas, dictionemque etsi minus puram, elaboratam tamen & numerosam; secundasque ei, post VIRGILIUM, sine controversia deferunt. — Ut autem facilius est in partibus, quam in re uniuersa, comparationis labor, ita in iis jam manebimus utriusque poetæ eclogis, quantum alteram ex altera adumbratam esse supra jam diximus.

Est tamen inter Virgilianas eclogas etiam alia, quam in animo habuisse CALPURNIUM, dum primam suam scribere aggrediretur, dubium non est. Sextam loquimur MARONIS, qua inducitur Silenus, carmine & Cosmogoniæ pandens arcana, & varias insuper addens mythicas nec ignobiles narrationes. Eadem fere est Fauni, in prima Calpurnii, persona; ea tamen differentia, quod concepta ab ipso Numine verba repetat Siculus, cum e contrario Mantuanus, modestior scilicet, & nihil inepte moliens promissor, summam dictorum exposuisse sit contentus. Et quamvis Apollo ille Pythius, si *Græcis ipsis credimus, Musas suas plerumque iratas haberet & aversas, ita ut sapientibus & cordatis sæpe ludibrium deberet, non solum ob ambiguas illas & subdolas aviolationes, sed etiam ob ignorantiam artis metricæ, ipsique homines e plebe superstitiosi ac rudes, quem satis bonum augurum crederent, eundem tamen faterentur fuisse malum poetam*

eam (x); si tamen judicabitur CALPURNIUS non satis fervasse divini carminis dignitatem majestatemque, temeritatis luisse videbitur poenas, eaque carebit excusatione, cujus quaerendae necessitatem sapientiori consilio vitavit VIRGILIUS.

Magnificentior certe est, in quarta Ecloga, VIRGILII sermo, talisque, ut, quamvis haud paucas e pastorali vita consilio mutuatus fuerit imagines, Sibyllina oracula, sicubi ex iis accessit aliquid, amplificasse suaeque facundia vicisse merito judicetur. Hujus autem magniloquentiae, in tali argumento necessariae, veniam praefatus ipse, a Sicelidibus Musis facile, ut speramus, impetravit; concedent certe, quotquot norunt interesse multum, Davusne loquatur an heros.

Facessant igitur, qui, quia doctius quam pro ingenio pastoris haec loquitur VIRGILIUS, hujus carmen postponendum, quod ad inventionem, Calpurniano judicant, FONTENELLE, WERNSDORF, ADELUNG. Nihil profecto est in Calpurniani scripti designatione novi, nihil proprio Marte excogitati; nam carmina (sed breviora forte, quod ad juvandam fidem omnino valet) descripta fagi cortice jam MARO memoraverat (y), idemque fatidicam Fauni vim provocari ab Italis gentibus in dubiis rebus sivevisse, cecinerat (z).

x) Lowth l. c. p. 436.

y) Ecl. V. v. 13 sq.

z) Aeneid, L. VII. v. 85 sq.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

- a) Lower I. p. 132
- b) Ed. V. v. 13 p.
- c) Kall. I. VII. v. 31 p.

